IMP. MAXIMILIANI I. ROM. CÆS. AVGVSTI

vid. hic p. 5.

DE

BELLO TURCICO

Ad Principes & ordines sacri Rom. Imperii in Comitiis habita Oratio, Augustæ Vindelicorum,

Anno M. D. XIIX.

HELMESTADI,
Typis HENNINGI MULLERI, Acad. Typ.
CIƆ IƆ C LXIV.

CHRISTOPHORUS SCHRADER ELOQUENTIÆ PROFESSOR ACAD. JULIÆ CIVIBUS S. D.

ABſolvi nudius quartus longiſſimam illam optimamque M. Tullij epiſtolam, qua fratrem ſuum Quintum, Aſiæ Proprætorem, ſalutaribus rectè adminiſtrandæ provinciæ præceptis prudẽter, diſertè & humaniter inſtruxit. Ita verò in ea exponenda ſum verſatus, ut præter latinitatẽ, & Romanæ hiſtoriæ, & artis dicendi, & morum ac civilis ſcientię rationem habuerim, nec prælectionis hora ulla abierit, quâ juxta ſermonis elegantiam atque dignitatem, non

aut memoriæ veteris, aut Rhetoricæ, aut Politicæ (quo nomine Aristoteles noster & morum doctrinã complectitur) scientiores ex auditorio discesserint, quotquot sedulò & attentè hoc egerũt. Monebat officii ratio ut post tam luculentum sapientissimi & eloquentissimi scriptoris exemplum, nõ obiter sed penitus lustratum, ad ipsã artis dicendi expositionem me reciperem. Et recepissem utique, ni paucæ ad ferias Paschales reliquæ hebdomades strictius argumentum poscerent. Iustam sanè operã cum solenni Academicarum prælectionũ exordio vernali inchoare, advenarum studiis

diis

diis commodius videtur. Vt ergo tempori & parcam & ſerviam, delegi iſtam orationem, quam his ad magnam uſq; hebdomadē ſuperſtitibus diebus publicè enarrarem. Proderit enim, facundiam recentiorũ ad veterum eloquentiam conferre, & in noſtri quoque ævi diſertis ſcriptoribus quandam ſvadæ medullam veſtigare. Adſcribitur hæc oratio MAXIMILIANO I. Imperatori, & alibi, & in volumine conſiliorum bellicorum contra Turcam, ſub initium hujus ſeculi Lipſiæ editorum. Et verò laudatisſimũ Imperatorem in conventu Principum imperii, anno ſuperioris ſeculi duodeviceſimo Auguſtæ Vin-

delicorum instituto, ea quæ oratio hæc loquitur sensisse, ursisse, promulgasse, historia illi⁹ temporis & recessus comitiorum (utor vulgari verbo, ut intelligar) satis superque demonstrant. Ceterũ orationis contextus ipse à Maximiliani manu non est, quemadmodum nec ex Alexandri, nec è Scipionis aut Hannibalis ore ad verbũ sunt exceptę, quę à Polybio, Dionysio, Livio, Curtio his tribuuntur orationes. Nequaquam veró ob id historia, quæ conciones istiusmodi intexit, abit â vero. Nam ubi de sententiâ & ipsâ re constat, constat autem in eam mentem esse locutos, aut non potuisse non loqui eos qui memo-

rantur,

rantur, verborum delectus & structura scriptoris ipsius curæ & arbitrio meritò relinquuntur. Nihil itaque hic finxisse censendus est vir eruditus qui ea quæ Maximilianus Imperator ad Principes imperij, germanicâ, proculdubio, linguâ, tum retulit, latinâ oratione est complexus. Digna vero illa est, quę à Vobis, *Studiosi Iuvenes*, audiatur, legatur, relegaturque, cùm ob rerùm copiam, tum ob verborũ nitorem minimè fucatum. Auctor, ne nesciatis, est ille de sapientiæ & eloquentiæ studiis tã optime meritus Philippus Melanchthon. Ejusdem & narratio illa est, quę orationi præmittitur subjiciturque, quod è

Chro-

Chronici Melanchthoniani Peucerianâ editione, ſatis cõſtat. Philippus equidem ſub Georgii Sabini nomine, ut genero huic ſuo famam conciliaret, illam Cæſaris exhortationem prodire paſſ⁹ eſt, at Peucerus ſocero ſuo eandē poſtliminio aſſeruit. Ego quod in laudato Turcicarum orationum codice reperi nolui mutare, lectorem interim veri commonefaciens. Prælectionē orationis ipſam ordiar juvante Deo primo quoque die, & , ut juxta nativam ſermonis latini elegantiam hiſtoriæ illius temporis, & dicendi ſapientiæ intelligentiores quotidie evadatis, curâ quantâ poſſum maximâ annitar. Nec carebit fructu labor docendi, modo huic veſtrum audiendi ſtudium pariter reſpondeat. Salvete omnes & conſtanter adeſte. Helmſtadij in Acad. Juliâ prid. Cal. Mart. Anno CIↃ IↃ C LXIV.

IMP: MAXIMILIANI I. ROM. CÆSAR. AVGVSTI

DE

BELLO TVRCICO

Ad Principes & ordines ſacri Rom. Imperii in Comitiis habita Oratio, Auguſtæ Vindelicorum, Anno M. D. XIIX.

Præfatio de vita & rebus geſtis Maximiliani I. Cæſaris, auctore Georgio Sabino.

POſtquam nunciatum eſt, Selimum Turcarum Tyrannum, capta Syria atque Aegypto, denunciare bellum Pannoniis: MAXIMILIANVS Cæſar, inteſtinas Chriſtianorum diſcordias componendas eſſe duxit: ut omni cura in unum bellum Turcicum incumbere, & cæteros ad tantæ tamque glorioſæ rei ſocietatem attrahere poſſet. Niſi enim communi conſenſu omnes Regum opes ac vires immaniſſimo ac potentiſſimo hoſti opponerentur, ab eo pertimeſcendum univerſæ Reipublicæ Chriſtianæ interitum judicabat. Nec ignorabat, Imperatorem Conſtantinopolitanum & principes Græciæ paulò ante in extremam calamitatem incidiſſe, ac penitus deletos eſſe, dum ferali diſcordia diſtraherentur. Erant autem in Maximiliano cum cæteræ virtutes magno heroë dignæ, tum verò

iis artibus, quæ in summo Principe eminere debent, nimirum scientia regendæ Reipublicæ in pace, & peritia rei militaris, longè omnes antecellebat non tantum suæ ætatis Reges: plane, ut ille summus apud Homerum Imperator, rex optimus, & fortissimus bellator. Nam inde usque ab adolescentia per omnem vitam, multa cum maximeq; varia bella exercuerunt: in quibus res magnæ omnes ductu, virtute & consilio ipsius gestæ sunt. Diligentissimè antequam acie dimicaret, pugnandi opportunitatem prævidebat: & in ipsa acie consilio & magnitudine animi singulari utebatur: qua interdum cùm haberet infirmiores copias, aut iniquo loco prælium committeret, tamen hostium exercitum dissipavit: aut elusit. Atque ita responderunt exitus virtuti & felicitati eius: ut cum gesserit plurima bella cum potentissimis regibus ac populis, coëgerit ad pacem petendam omnes. Ita enim gerebat bella, ut cùm patrios principatus defendisset, non appeteret aliena regna: sed tueri etiam & augere exterorum regum opes & dignitatem, honestum putaret. Adolescens postquam duxit Caroli Burgundi filiam, cum Galli armis repeterent Burgundiam & Flandriam: neque magnitudine copiarum unquam perterritus, neque diuturnitate belli, quod aliquot annos magna pertinacia gerebatur, fractus est: sed sæpe ingentes exercitus parva manu fudit & fugavit: & constantiam tantam præstitit in reprimendis hostium conatibus, ut ad extremum Galli, spe abjecta recuperandi Belgici, pacem ultrò expeterent. Postea pacata ditione Burgundica, properavit in Austriam, ut patrium Ducatum recuperaret.

peraret. Nam Matthias rex Pannoniæ bonam Austriæ partem ademerat Friderico III. metuens, ne post suam mortem Austriaci regnum Hungariæ sibi vindicarent. At Maximilianus non tantùm recepit patrium Ducatum: sed etiam ingressus Hungariam cum exercitu, bonam regni partem occupavit: & Albam Regalem expugnatam vi cepit. Quanquam autem potiri tunc universa Hungaria facilè posset: tamen & propter necessitudinem, quæ ei cum Regibus Poloniæ erat, ex quorum familia Regem Hungari accersierant: & ne grassantibus eo ipso tempore Turcis in Mysia, præberet contentio de regno occasionem juvandæ Hungariæ: duxit sibi Regem recens accersitum. cùm quidem cognatus esset, matre natus Austriaca, certis conditionibus adjungendum esse: eiq́; Hungariam spontè reliquit. Sequuta sunt deinde alia bella, Flandrense, Geldrense, & Helveticum, in quibus non solùm ipsius virtus in subjugandis hostibus enituit: sed etiam in victoria singularis moderatio laude digna fuit. Postea exarsit ingens bellum in Bavaria; cùm Rupertus Palatinus Rheni mortuo Georgio Duce, socero, jure hæreditario universam sibi Bavariam vindicare conaretur: nec ab eo consilio æquissimis conditionibus à Maximiliano propositis abduci posset. In eo bello Maximilianus aliquoties acie dimicavit cum Palatini exercitibus: ad extremum etiam acerrimum prælium cum auxiliis Bohemicis commisit: in quo cum Bohemi veteri quadam disciplina vallo muniti se defenderent bombardis: ipse in prima acie everso vallo impetum facit in hostes, & suos perculsos ac dubitantes sequi sese in prælium coëgit. Ita

trucidatis quatuor millibus Bohemorum, reliquos in fugam vertit: & cum Bavariam ipsam à periculo liberavit, tum verò Palatinum ad pacem petendam compulit. Sed quantum consilio & magnitudine animi excelluerit, clariùs etiam in Veneto bello conspici potuit: in quo cum intelligeret, quanta esset Venetorum potentia: pertraxit ad belli societatem Regem Gallorum Ludovicum XII. munitißimas urbes, Patavium, Veronam, Brixiam, & plerasque alias, partim vi expugnavit, partim arte ad deditionem coegit: sæpè exercitus magnos Venetorum profligauit: cumq́ue Veneti summam imperii commisissent Bartholomeo Liviano, quem unum, (quia omnium ejus ætatis Ducum callidißimus in Italia putabatur) opponendum esse Maximiliano censuerant: nunquam neque ullis ab eo difficultatibus circumventus, neque acie victus est. Ipse verò Livianus cum sæpè alias, tum in illa memorabili pugna Vicentina, & consilio & fortitudine superatus est. Nam cum essent exiguæ nostrorum copiæ: & Livi..nus adeò certam sibi victoriam promitteret, confisus & numero, & loci opportunitate, ut evocaret Venetos ex urbe velut ad spectaculum, ad videndam cædem Germanorum: nostri intellecto hostium consilio, cùm essent non amplius quinque millibus, ne à multitudine circumveniri possent, properant, ut vicinum tumulum occupent: ubi iniquo loco hostes pugnare cogebant; & inde tanto impetu decurrerunt in Venetos: ut amplius sex millibus trucidatis, magnam multitudinem, etiam inermium, qui spectatum venerant, in castris ceperint. Cùm Cæsar ita res Venetorum graviter afflixisset: & plerasque

que

que eorum urbes teneret: Julius Pontifex Rom. descifcit ad Venetos. Habebat autem Julius firmißimas copias: & quia videri volebat, eò se ad Venetos conferre, ut Italiam, quæ à Germanis & Gallis dilaceraretur, his miseriis liberaret: facilè sibi reliquam Italiam adiunxit. Erat itaque bene paratus: & animo, ut solebat, acri bellum gerere cœpit. Tunc & Ludovicus jam majore cura rem gerendam existimans, bellum apparat omnibus viribus. Cùm igitur videret Maximilianus, quanta belli moles impenderet, & intelligeret in summo periculo Italiam, si Galli essent superiores: hortatur Pontificem per legatos, ut autor pacis eße malit, quàm excitare majus incendium: quod universæ Italiæ vastitatem allaturum videretur. Sed cum hæc frustra ageret: ingenti prælio Pontificius exercitus victus est à Gallis ad Ravennam. Nunquam nostra memoria acrius dimicatum est, nulla facta major strages, quàm in eo prælio. Ita enim & Julius ipse iudicavit, accepta hac clade, in extremo periculo se & universam Italiam versari. Statim igitur cum Maximiliano de pace agit: qui ut Italiæ saluti consuleret, Ludovico etiam pacis autor erat. Sed cum ille ira atque odio Pontificis, arma abjicere nollet, & minaretur urbi Romæ: jam sollicitus de publica Ecclesiæ tranquillitate, deq; Italiæ libertate Maximilianus, armis ex Italia Gallos retrahendos esse censuit: idq; subitò contractis magnis copiis, concitatis etiam Anglis & Burgundis, perfecit. Cùm tanta in eo publicæ salutis esset cura: excitavit eum non solùm potentia sed multò magis felicitas Selimi: qui subitò potitus erat Syria atque Aegypto: ut omnibus aliis negotiis omißis, Regum ac Principum omnium totius Europæ animos ad reprimendos Turcas accendere conaretur. Quam ad rem habebat hortatores amicißimos Reges, cognatione ac fœderibus sibi devinctos: & qui periculo quod a Turcis impendebat, erant proximi, Vladislaum Regem Hungariæ, & Sigismundum Regem Poloniæ. Itaque cum videret ad rem tantam Italiæ tranquillitate o-

pius esse: primum Venetos fractos iam longo bello, ac petentes pacem, certis conditionibus sibi adjunxit: & ne qua odii aut belli semina essent reliqua & beneficio devincti meliores essent, aliquot urbes, in quibus Verona erat, ultrò illis cessit, ac tenendas dedit: & ut Regem Galliæ ad communem totius Christiani orbis caussam adjungeret, passus est eum retinere Mediolanum. Ita pacata Europa, anno M D. XVIII. conventum Augustæ indixit: in quo conventu cum de omni ratione movendi belli adversus Turcas esset cum Germanicis principibus deliberaturus: curavit ut eò venirent etiam Romani Pontificis & omnium Regum legati: ut intelligi posset, cæteros reges non defuturos esse communi caussæ. Multis jam annis non fuerat frequentior conventus. Nam Electores ibi sex erant, & cæteri principes, potentiores plerique omnes: Aderant & regum plurimorum legati. Leonis X summi Pontificis legati erant Matthæus Langius Archiepiscopus Salisburgensis & Thomas Cajetanus Cardinalis S. Sixti: qui quoniam ex urbe Roma adveniebat, non statim initio conventus aderat. Itaque Cæsar initio Principum ac populorum Germaniæ caussas audivit, & controversias diremit, ne qua privata dissensio postea deliberationes de bello Turcico interturbaret. Et quoniam consilium de eo bello movendo ad salutem totius orbis Christiani pertinebat: existimabat Cæsar tum demum ea de re esse referendum ad Principes, cum advenisset Legatus Pontificius, ut magis intelligi posset, hanc tantam rem non privato agi consilio, sed ex officio Imperatoris & flagitante summo Pontifice, nomine universæ Ecclesiæ Christianæ, quod pro universo orbe, velut in statione esse summus Pontifex & Imperator debeant? Et hanc opinionem profuturam arbitrabatur ad accendenda studia exterarum nationum ac Regum, quorum aderant Legati: & ad voluntates Principum Germaniæ incitandas.

Summa Orationis MATTHÆI LANGII Archiepiscopi Salisburgensis & Legati Pontificij.

CUM igitur tandem mense Augusto advenisset Legatus Pontificius: egressi obviam Cæsar, & omnes Principes Germaniæ ante portas urbis Augustæ, eum magnificè exceperunt. Post dies aliquot Cæsar adhibitis Principibus, & omnium Regum ac nationum Legatis, in maxima frequentia omnium ordinum, eum audivit exponentem mandata summi Pontificis, & hortantem publico nomine universæ Ecclesiæ Christi, præcipuè Imperatorem deinde Principes & Regum legatos: ut communi consilio & conjunctis animis bellum pium atque necessarium jam tandem susciperent: ut Græciam atque Asiam ex turpissima & miserrima servitute eriperent: ut hostes grassantes iam in vicinis regnis reprimerent: ut orbem terrarum crudelissimo latrocinio, sacrilega & nefaria secta, contumeliosa in Christum, liberarent. Addebat etiam de Leonis X. voluntate, neque autoritatem, neque opes Pontificias, neque consilium ejus ulla in re huic communi caussæ defuturum esse. Hoc consilio Leonem initio Pontificatus dedisse operam, ut pax Italiæ restitueretur: cum quidem iustiores bellorum movendorum caussas habuisset, quàm plerique antea: sed privatas injurias eum condonasse publicæ necessitati: cumq́ꝫ cæteris regibus hortator esset pacis: voluisse etiam eum exemplo ipsis præire, eosq́ꝫ sic invitare, ut omissis intestinis bellis in commune consulerent. Opes verò pontificias nusquam melius collocari, quàm in hunc usum: nullam gratiorem Eleemosynam DEo posse præstari, quàm hanc ipsam: qua tot gentes simul è servitute & impietate eriperentur: & nefaria impietas deleretur. Huic Orationi cum gravem querelam addidisset, de earum gentium ærumnis & contumeliis religionis; & simul commemorasset, quantis incrementis exiguo admodum tempore potentia Turcarum aucta esset: non tam virtute ipsorum,

quàm

quam Christianorum Regum seu negligentia seu intestinis discordiis: adjecit se eò ista apud Principes Imperii queri : quia huic nationi Germanicæ præcipuè commissa esset defensio Christiani orbis, nec alium Ducem tanti belli jure designari posse, nisi Imperatorem. Ac propterea hanc nationem, quæ excellat non solum gloria rei militaris, sed etiam Imperii dignitate, primùm debere arma capere : anteferre privatis affectibus communem salutem Ecclesiæ, & Imperii dignitatem. Nec nobis alibi Ducem quærendum esse : nec nationem amantem libertatis cogi, ut externis Imperiis pareat. Habere nos Maximilianum, qui prudentia, virtute, scientia rei militaris, non solum cæteros Reges, sed etiam clarissimos & peritissimos omnium nationum superaret : nec destitui eum felicitate in rebus gerendis: Et DEum rectis & piis consiliis, & Ecclesiæ votis affuturum esse. Hæc oratio cùm iustam & gravem querelam habuisset: & verè commemorasset, quanto in periculo esset universa Ecclesia ; quàm pium, quàm necessarium esset, omnes bonos ac fortes viros ad hoc periculum depellendum accurrere : non solum summi Pontificis, sed ipsius Ecclesiæ Christianæ, vox esse judicabatur. Itaque cùm Cæsar in præsentia pauca dixisset de sua voluntate, & ostendisset, se summis votis hunc consensum nationum semper optasse, ad bellum inferendum Turcis : & adjecisset, de ratione belli gerendi se cum Principibus deliberaturum esse: mirifica erat expectatio omnium ordinum. Nam cùm omnes principes sua sponte optimè animati essent erga hanc caussam, sed viderent opus esse ad rem tantam suscipiendam peritissimorum deliberatione : maximè cupiebant ab ipso Cæsare, propter illius excellentem prudentiam, & usum in re militari, rationem parandi & gerendi belli proponi. Cum Cæsar sic affectos esse animadverteret : venit in consessum Principum post paucos dies : cumq; consalutatis eis, assedisset, cœpit exponere consilia & voluntatem suam in hanc sententiam :

IMP.

IMP. MAXIMILIANI CAESARIS AVGVST. ORATIO.

FRequentia veſtra, quæ & hoc tempore præcipuè neceſſaria eſt Reipublicæ, & mihi pergrata, non obſcurè indicat voluntatem veſtram, & ſtudia erga hanc cauſſam, propter quam domo exciti eſtis. Cùm enim tam cupidè adveneritis, poſtquam in literis ſignificavi nos de bello Turcico acturos eſſe: facilè intelligo vos ipſos (ut decet ſapientes Principes, & viros fortiſſimos) & intelligere, quid à vobis totus orbis terrarum, univerſa Chriſti Eccleſia, dignitas hujus Imperii requirat: & animos veſtros ea virtute ac fortitudine præditos eſſe, ut bellum omnium, quæ unquam fuerunt, longè juſtiſſimum & glorioſiſſimum, omnibus votis expetatis. Quare exiſtimo, mihi non longa oratione ad vos incitandos opus eſſe: & expectari à me potius claſſicum ad inferenda ſigna, quàm hanc in toga, & in curia adhortationem. Sed tamen belli magnitudo & difficultas primum deliberatione quadam eget, non utrum ſit inferendum: ſiquidem etſi hoſtes uos bello non laceſſerent, neque in finitimis locis, ac penè in conſpectu noſtro graſſarentur; tamen oportuit nos liberare orbem terrarum hac crudeliſſima atque impia barbarie: & ex miſerrima ſervitute tot nationes oppreſſas eripere: ſed illud

magis deliberandum esse videtur: cùm tantæ ſint opes ac vires Turcici regni: cùm exercitus in longinquas regiones traducendi: cùm fortaſſis pluribus locis & longo tempore bellum futurum ſit, quantis opus ſit copiis: an una Germanica natio tantos conficere exercitus: tolerare ſumptus: arma, equos, ſtipendia, commeatus ſuppeditare poſſit: qui reges, qui populi, ad ſocietatem hujus pulcherrimæ militiæ adjungi poſſint: an ita in Europa pax conſtituta ſit, ne me, & vos, ex medio curſu revocent homines perfidi: qui, ut ſæpe antea accidit, vel per occaſionem occupare noſtra conabuntur: vel turpi aliqua cum hoſtibus pactione facta, metuent, ne fines imperii proferamus. De his rebus ſcio à me requiri orationem à prudentibus omnibus. Nam me quidem in hoc Imperii faſtigio, non ſolum in acie belli Ducem & Imperatorem eſſe, ſed multo magis hujus publici conſilii ducem atque autorem eſſe convenit. Quare niſi de his tantis rebus, diu multumque, tot jam exercitatus bellis, & magna fortunæ varietate, cogitaſſem: profectò reprehenſione omnium dignus eſſem. Sed mihi credite, cùm ab auſpiciis meis, recuperata Auſtria, poſt mortem Regis Hungariæ Matthiæ Hunniadæ, & ingenti expulſo exercitu Turcarum ex Croatia, nihil magis in votis mihi fuerit, quàm ut mox exercitus in provincias Turcarum traducerem, nunquam poſtea de hoc bello cogitare deſii. Ac tunc quidem

occa-

occaſio percommoda erat huj⁹ rei ſuſcipiendæ. Nam poſt Mahometi mortem magna de ſucceſſione inter fratres diſcordia erat. Siſimus etiam armis invadere regnum conabatur. Quare in his provinciis non ſatis firma præſidia erant: & ut quantum poſſem, providerem, ne qui domeſtici motus nos remorarentur: legem de veſtra ſententia tuli in quodam conventu, de pace decennali. Verum qui me hæc parantem fluctus ſubitò exceperunt? Galli non ſolum me de poſſeſſione Burgundiæ per ſeditionem dejicere conati ſunt: ſed etiam meo capiti inſidias per ſummum ſcelus ſtruxerunt. Poſtea Italia, quæ proximis annis ſingulari conſilio Patris mei Friderici Imperatoris pacata fuerat, iterum Gallicis armis perturbata eſt. Nam proximo anno poſt mortem Patris mei, Carolus IIX. cum ingenti exercitu bonam Italiæ partem hoſtilitèr pervagatus eſt. Etenim non modo Neapolitanum regnum occupare conabatur: ſed & Mediolanenſes bello adortus eſt: qua ex re animadverti potuit, eum totius Italiæ dominationem ſibi polliceri. Itaque & miſi auxilia in Italiam ad defendendos Mediolanenſes contra Gallum: & eò exercitum ipſe adduxi. Ad hæc incommoda, tumultus Hungarici eodem ferè tempore accidebant. Poſtea dum orta bella undique in Germania & Italia, conſilio atque armis ſedare contendo (ut poſtulabat neceſſitas publica) diutius quàm volebam, differre conſilium de movendo Turcico bello

coactus sum. Sed quantum judicare possum, divinitus ita res extracta est. Nam & tempus interea, & hæc bella afferunt nobis magnam facultatem & commoda ad Turcicum bellum. Partim enim sunt domiti armis hi, quorum potentiam absentes formidaturi eramus. Hispaniam ac Neapolim tenet Carolus meus nepos: Burgundia tota tranquilla est: Gallum nobis beneficio ac fœdere devinctum, ad societatem belli, ut spero, adjungemus. Quare certam tranquillitatem domi promittere nobis possumus. Hoc caput est negotii. Nam reliqua pars deliberationis multò est facilior. Hæc me cura amplius jam viginti annis exercuit: præcipuè quomodo pacem in Europa firmam constituerem; Hunc mihi finem omnium bellorum semper proposui: non ut latius fines regni extenderem: sed ut pace parta, bellum transferrem in Turcicum regnum. Hanc ob caussam victor multa concessi iis, quos armis domui: ut mea moderatione eos ad pacem invitarem. Hæc præfatus sum aliquanto prolixius: ut quæ mea voluntas in his bellis, quæ gessi hactenus, fuerit, planè omnes intelligant: ac sciant, neque antea me iracundia, aut injusta cupiditate unquam arma sumsisse: neque hoc Turcicum bellum alio consilio parare, quàm quia necessarium & pium esse judico. Qua de re ubi pauca addidero, postea reliquam deliberationem, de copiis, de commeatibus, deque modo belli gerendi pertexam: quæ domi pace consti-

constituta, non potest difficilis vobis videri, qui periti estis rei militaris, & quibus Germania satis nota est: denique qui arma & opes, & hanc Imperii dignitatem tenere nos scitis, ut vitam, & omnes fortunas nostras, ad defensionem & publicam salutem orbis terrarum conferamus. Nec verò quenquam è vobis quidem arbitror esse, qui Turcicum bellum parum necessarium existimet: aut postulet, ut alii potius Reges, aliæ nationes sibi has partes sumant. Nam etiamsi Turcæ suis finibus jam contenti, non proferrent arma longius: nec nobis periculũ denunciarent: nos quidem, quibus Deus præcipuè commendavit orbis Christiani defensionẽ, bellum inferre illis oportebat: ut Græciam & vicinas provincias crudeli servitute liberaremus. Nam si quis putat mitia aut tolerabilia esse Turcarum Imperia: is longè fallitur: nec nobis de Imperii laude cum illis certamen est: sed de religione, de disciplina, de conjugum & liberorum pudicitia. Præcipuè autem grassantur in nobilitatem: nec solum possessiones certæ victis nullæ relinquuntur: sed etiam lixæ, & gregarii milites rapiunt ad stupra nobilissimas atque honestissimas matronas, virgines, pueros: Ad hæc multis modis extinguunt ac delent Christianam religionem. An non hæ sunt magnæ & justæ caussæ, quæ viris fortibus ad tuendam gloriam Dei, & salutem omnium gentium arma induant? Quare ingenti dolore afficior: cum cogito Græciam, quæ non solum doctrinarum parens est, sed etiam

omni laude virtutum excelluit, & diu florentissima pars ecclesiæ Christianæ fuit, nunc tali servitute oppressam esse: in qua cum cætera dictu fœda, atque horrenda perferenda sunt: tum etiam religio penitus aboletur: & auget meum dolorem, quòd res gestæ præcipuè testantur, Græciam non spontè, aut sine certamine accepisse hoc iugum. Illa verò multos annos fortisimè dimicans tandem concidit: non virtute superata, sed quia sola tantam hostium multitudinem, & tam longum bellum sustinere non poterat. Audio etiamnum tantam esse vim ingeniorum, tantam virtutem Græcæ nationis: vt non alia gens præstantiores duces Turcis suppeditet, quàm Græca: qui (vt audio) quanquam ritibus imbuti Turcicis, tamen memores nostræ nobiscum necesitudinis, inviti bella gerunt in nostris prouincijs. Hanc certè nationem, quæ pulcerrimum ornamentum nominis Christiani, quæque cum maioribus nostris sanguine, fœderibus, & multis officijs coniuncta fuit, cùm ob cæteras caussas oportuit nos in libertatem vindicare: tum ob hæc merita singularia, quod aliquot sæculis immanem illam barbariem fortissimè represit, & à nostris cervicibus depulit. Nullum enim iustius est officium, quàm seruatoribus, calamitate aliqua fractis, rursus opem ferre, & parem gratiam referre. Sed quò me dolor abducit? Tanta est enim non solum regnandi cupiditas, sed multo magis humani sanguinis sitis; tantus furor in Turcis: ut non reli-

que-

querint nobis deliberationem de inſerendo bello liberam: ſed de propulſando bello, de defenſione religionis Chriſtianæ, quam ubique terrarum delere conatur illa barbaries, conſilium capiendum eſt, retinenda eſt huius Imperij maieſtas, tuendæ coniuges & liberi noſtri. Niſi enim occurrimus, paulo poſt domitis vicinis gentibus in media Germania videbitis excindi urbes: inflammari templa: rapi ad omne flagitij genus coniuges & liberos: divelli infantes à complexu parentum atque interfici: medias ſecari gravidas mulieres illo acynace barbarico. Fanaticæ religiones, quibus incitati ſunt, ne quidem concedunt eis ocium, ſed lege cogunt imperium extendere. Et ſucceſſus tanti, tamque proſperi, annorum ferè ducentorum, addunt eis animos, ut quieſcere nullo modo poſsint. Quod ſi tanta fuit gloriæ atque Imperij cupiditas: tanta audacia tunc, cum vires haberent admodum exiguas: nec quicquam niſi littus ad Pontum Euxinum tenerent: ut non mari, non montibus, non magnitudine Græci Imperij deterriti ſint, quo minus in Aſiam & Europam impetum facerent: cum quidem magnas inſuper clades acceperant: an nunc adeptos tantam potentiam, tantas vires, & hoc rerum faſtigium, exiſtimatis non delectari Imperij gloria? Atqui verò acerrimus eſt ſtimulus in bellicoſis ingenijs, armorum & imperij decus: præſertim ſi aſpiret etiam fortuna. Multæ autem noſtræ clades numerari poſſunt inde uſque à prælio,

quod

quod Sigiſmundus Imperator cum Turcis infeliciter commiſit: cum interea nullam ipſi inſignem cladem acceperint. Itaque in tam felici victoriarum curſu, quam non ceſſarint, videtis. Vt enim omittam res geſtas ſuperiorum; Mahometus, qui me puero floruit, ſumma celeritate, ceu fulmen quoddam, magnam Europæ partem pervagatus eſt: cùm in Pannonijs infeliciter dimicaſſet, victus à Ioanne Hunniade, nequaquam animo fractus eſt: ſed Conſtantinopolim adortus, diu obſeſſam, tandem anno, antequam natus ſum ſexto, vi captam diripuit: crudeliſsimè interfecto Imperatore Conſtantino, cognato noſtro: & raptis ad ſtuprum eius liberis. Poſtea capta Thracia, Myſiam invadit: ac fere toto Illyrico domito, & occupato regno Boſnæ, Græciam adoritur: Corinthum vi expugnat: & Peloponneſum ditioni ſuæ adijcit: interfectis, Demetrio & Thoma fratribus. Tot regnis ac provincijs in Europa potitus, adeo non recepit ſe in ocium: ut ſubinde maiora ſpe atque animo conciperet. Conſtitutis provincijs in Europa, traijcit in Aſiam: Trapezuntem expugnat, rege interfecto. Deinde Mytilenem armis capit, cumque iam minorem Aſiam ac Ponti oram univerſam teneret, transfert bellum in Syriam & Ægyptum. Sed cum Sultanus acie victus pacem peteret; quia maioris gloriæ materiam eſſe vidit in Europa; fœdus cum Sultano fecit: & rediens in Europam, inſtructa claſſe, & contractis copijs traijcit in Italiam, &

oppu-

oppugnavit Hydruntum: ac tantum terroris Italiæ incuſsit, ut iam Romanus Pontifex fugam pararet: omnia erant in Italia & Gallia bellorum plena. Deindè non ſolum Turcarum vires, ſed multo magis Ducis felicitatem, ſcientiam rei militaris, vigilantiam & celeritatem, omnes gentes formidabant. Memini me puero hunc tanquam Alexandrum alterum prædicari: eiuſque virtuti & felicitati prona omnia videri. In tanta trepidatione noſtrorum DEVS clementer reſpexit Eccleſiam ſuam: & illi Tyranno iam Italiæ aditum tenenti manus iniecit: eumq́ue ne funditus Chriſtianum nomen, aras noſtras, & ſacratiſsimam religionem deleret, è medio ſuſtulit atque extinxit. Hoc beneficio clariſsimè teſtatus eſt DEVS, nos ſibi curæ eſſe. Quod quidem ſi agnoſcimus, cogitemus nos quidem eò ſervatos eſſe, non ut otioſi perpetuò graſſari in Eccleſia Turcas ſinamus: ſed ut excitati nos quoque cura Eccleſiæ liberandæ & defendendæ afficiamur: & ſciamus DEVM rem tam piam ſuſcipientibus affuturum eſſe. Nam nos quidem, quibus Reipublicæ defenſio commendata eſt, non alium DEO cultum gratiorem præſtare poſſumus. Divinitus & illud accidit, quod nonnihil retardarunt victoriarum Mahometi curſum fortiſsimi viri: primum Ioannes Hunniades: deinde Georgius Scanderbegus, & Rex Hungariæ Matthias. Libenter enim commemoro, ut cogitetis ſalutem Eccleſiæ DEO curæ eſſe: & ut debitum virtutis teſtimonium

his ducibus optimè meritis tribuamus. Hos enim antagonistas, ceu murum, opposuit DEVS ruenti Mahometo: ne subito impetu universam Europam opprimeret. Primum in Pannoniam ingressus, magno prælio victus est ab Hunniade. Deinde remorata est eum per multos annos Macedonia. Nam quoad vixit Scanderbegus, repressit barbarum: & singulari virtute & felicitate patrium regnum defendit. Hoc mortuo, tandem Macedonia, tam diuturno bello vexata, sine certamine Mahometo cessit. Matthias aliquot prælijs deterruit eum ab Hungaria: adhæc arcem ei Sabaceam, trucidato exercitu Turcico eripuit. Extincto igitur Mahometo paulisper respiravimus. Nam & domestica dissensio mortem eius sequuta est: sed aliquantò post, sedatis discordijs intestinis, iterum vicinis regnis bella inferunt. Baiazethes Methonam Venetis ingenti certamine eripuit. Quid nunc Selimum? nonne videtis domita Syria & Ægypto, Hungariæ audacissimè bellum inferre? à qua nisi eum depellimus, quàm facilè erit Turcis postea per occasionem irruptiones in Germaniam facere, qroties velint. Ac, mihi credite, non solum fortiter, sed etiam magno consilio Turcæ belligerantur: intenti in occasiones omnes: nec omnia simul occupare conantur: sed arce aliqua bello capta, paulatim tentant vicina loca. Ad hoc accedit assiduitas, qua crevisse magna imperia

peria

peria præcipuè videmus. Vbi ſemel pedem poſue-runt, inde non facilè depelluntur: deinde communitis ijs locis, quæ occuparunt, tum demum arma proferunt ulterius. Quare etiamſi Germaniam nondum attingunt: quanquam ſæpè iam in Carnos fecerunt irruptiones: tamen ubi Hungaria potiti fuerint, erunt intenti in omnes occaſiones, ut nos imparatos, aut diſtractos inteſtinis diſcordijs opprimant. Si, ut Bulgaris & Valachis imperarent, nullos labores, nulla defugerunt pericula: quanto magis Germaniam atque Italiam, ipſas quidem arces Chriſtiani nominis, appetent, quas ſi tenerent (quod prohibeat DEVS) non ſolum Imperij magnitudine veteres Romanos æquarent: ſed etiam totam Chriſtianam religionem deleſſe ſibi viderentur. Haberent acceſsionem tantam virium: ut reliquæ nationes ſine ullo certamine ceſſuræ eſſent: Et vos, qui nunc arma geritis, ne CHRISTI nomen aboleatur, quique veram religionem & libertatem veſtram defenditis, poſtea adverſus CHRISTVM pro nefaria impietate militare, Tyranno ſervire, & fuſtes expectare alicuius Scythæ, cogeremini. Qua immanitate domini in coniuges veſtras, ac liberos uſuri eſſent? Verecundè dici non poſſunt ea, quæ non tantum in captivos, ſed etiam in ſuos committunt. Illud tantum recitabo: capto Byzantio, Imperatoris Conſtantini caput cervici abſciſſum eſt: id Ma-

hometus fixum geſtari per urbem iuſsit in pilo. Eius verò coniugem & filias, non ita ſanctè, ut Alexander Macedo Darij Regis matrem & coniugem, captivas habuit: ſed in convivium adductas tradidit flagitioſè ſtuprandas ſuis ſatellitibus. Eadem in alijs regionibus accidere captivis credibile. Nunquam dicam fortem eſſe virum, quem talia exempla non movent: qui non ſumma animi cupiditate deſiderat, ut ſtatim pugnæ ſignum proponatur. Itaque cum neceſſe ſit nobis tueri veram religionem, libertatem noſtram, coniuges, liberos, leges, ac diſciplinam, adhortor vos ad huius iuſtiſsimi ac neceſſarij belli ſocietatem. Maiores noſtri quantas res geſſerunt, ut in Aſia reprimerent Mahometicam barbariem? Illi non dubitabant, talē hoſtem procul quærere: nunc Turcæ regnum nobis vicinum invaſerunt: nec tam Pannoniæ, quàm Germaniæ bellum denunciant. Multos iam annos Hungarorum virtute barbaries illa eſt à noſtris cervicibus depulſa: nos viciſsim nationi benè meritæ defenſionem debemus: Manes etiam fortiſsimorum virorum, qui in acie propter communem libertatem ceciderunt, flagitant, ut ſuæ patriæ mutuam gratiam referamus: quanquam reipſa non minus periculi nobis, quàm Hungariæ impendet. Reliqua eſt altera pars deliberationis, quantis copijs res gerenda ſit: quo in loco bellum inferendum: unde commeatus ſubvehendi:

ſi

ſi animi non abhorrent ab hoc bello: hæc deliberatio facilis erit. Nam ſummus Pontifex, Rex Hiſpaniæ, & Veneti, claſſem inſtruent: & civitates in littore Epiri & Peloponenſi ſitas, invadent. Noſter exercitus cum Gallicis & Anglicis auxilijs in Pannonias ducendus erit. Nam ideo properamus, ut hoc regnum Turcico latrocinio liberetur: Inde in Illyricum transferri bellum erit commodiſsimum. Formulam etiam propono, quantum pecuniæ, quantum equitum ac peditum ſingulis Principibus Germaniæ imperandum eſſe putem. Commeatus ut Danubio convehantur, à me certè providebitur. Quare ſi, ut ſpero, hoc bellum expetitis, deliberationem ita inſtituetis; ut de formula inter vos conveniat. Nam propter hanc præcipuè hic conventus indictus eſt: non ſumtus, non labores, non pericula detrectabitis: ſi ſtatuetis DEO vos hoc officium debere, vt hoc bellum ſummo ſtudio ſuſcipiatis. CHRISTVS in extremo iudicio rationem à nobis poſcet: ſi, cùm imperij ſumma dignitas ſit penes nos, deſeremus cæteras nationes: ſi non ſuſcipiemus defenſionem Chriſtianæ Reipub. Hoſtium vires non extenuavi. Errant enim ſi qui putant Turcas ignavos aut imbelles eſſe. Tot victoriæ indicant, eis nec ſcientiam rei militaris, nec fortitudinem deeſſe. Polliceor tamen lætum belli exitum: quia DEVS favet iuſtis & pijs conſilijs: ac certum eſt ſuam conſervaturum Eccleſiam. Servat autem non ocioſos: ſed facientes officium, & ſeriò

epem eius atque auxilium implorantes. Nec multitudinem hostium, nec vires pertimescemus: sed (ut docet nos Psalmus) Illi in curribus & in equis, nos autem in nomine Dei nostri omnia geremus.

POSTEAQVAM hoc modo peroravit Imperator Maximilianus: Principes aliquantisper, ut fit, collocuti sunt: & quia ex Imperatoris oratione intellexerant, non solùm quàm necessarium esset hoc bellum, sed etiam quæ futura essent auxilia, cum scirent se nec communi saluti nec studijs aliarum gentium deesse debere, dant negotium Alberto Archiepiscopo Moguntino, Principi Electori, ut de bello voluntatem ipsorum Cæsari exponeret: se DEO gratias agere, quod pace inter Christani nominis Reges constituta, tandem hoc bellum suscipi posset: ac libenter se venturos esse in societatem tam gloriosi & pij belli, omnesq; opes & vires suas ad communem defensionem collaturos. Quare statim velle se deliberationem de formula instituere, & quid ipsis videretur, Imperatori indicare, ut quamprimum conveniri posset. Formula ea complectebatur, quantum equitum & peditum singuli Principes & populi mittere deberent. In hac parte nihil mutatum est: Nam militiam nemo detrectabat: libenter quippè singuli suis stipendia daturi erant. Sed præter hæc, in formula erat novum tributi genus: ut Episcopi & Sacerdotes deciderent de suis reditibus decimas conferendas in belli sumtus: reliqui Principes vicesimas. De hac nova tributi formula sententiæ

Prin-

Principum variabant; Eraut nonnulli, qui libertati veteri periculosam esse ducebant. Sed ea erat tunc quidem gravitas & Principum virtus, ut impedire bellum privatis curis aut affectibus nequaqum voluerint. Itaque etsi de hac tributi formula dissenserant, tamen statim convenit ita, certum numerum equitum & peditum singuli ut mitterent, & his stipendia solverent ipsi: Deinde ut tributa singuli indicerent in suis ditionibus, pro facultatum modo. Atque hæc omnia ad Cæsarem Principes retulerunt: qui collaudatis Principum voluntatibus, tandem de tributo decrevit: ut singuli, cùm in suas ditiones redissent, subditis consilium & voluntatem Cæsaris proponerent: & re deliberata, tantæ publicæ utilitatis causa tributa indicerent. Et quia totam deliberationem de apparatu belli, ante proximum ver perfici voluit: addidit decretum, se proxima hyeme in Epiphanijs iterum acturum esse conventum: ad quem ut Principes afferrent formulam & modum tributorum, mandavit: ne in mora essent bellum moturo. His actis Imperator conventum solvit, circiter festum Divi Bartholomæi: inde in Austriam proficiscitur: Egregios autem conatus & optima eius consilia luctuosissimus toti Reipublicæ casus antevertit. Ipse enim extinctus est pridie Idus Ianuarias, Anno M. D. XIX. cum quidem paucos dies febricula, & lubricitate alui laborasset.